de Anno 1597.

297)

Clarissimo Viro
D. Henrico Smetio Pro-Rectori
Magnifico etc.

Salutem. Magnifice Domine Pro-Rector, Domine ho-
norande. Ex literis Magnificentiae T. intelligo, Amplissimum
senatum Academicum de supplendo secundo loco Theologicae
Professionis vacante, ex mandato Illustriss. Electoris cogitare,
quae res cum ad Academiae honorem, et studiosae juventutis,
praesertim ejus, quae est in collegio nostro, emolumentum perti-
neat, gaudeo equidem, et gratulor vobis de tam utili et neces-
sario instituto, Deumque oro, ut consilia vestra ipse dirigat, et
monstret vobis virum tali loco et praedecessore illo cla-
rissimo juxta nobisque charissimo viro D. Kimedoncio dignum.
Caeterum quod etiam de me cum alio quodam nominando
vos cogitare significatis, ex eo benevolentiam vestram
et praeclarum de me judicium agnosco, pro quo quantas possum
et debeo vobis gratias ago. Id enim sentio mihi esse et
fore perquam honorificum. Nudius autem quartus,
cum hujus apud Reverendum virum D. Calaminum mihi ser-
mo incideret, non obscure illi, siquid tale Academia
forsan cogitaret, animum meum ostendi. Et ita sane.
Contentus sum in XIII jam annum statione mea et loco:
quem proinde ornare studebo, quoad Dominus dabit.
quem eo video me non posse sine multiplici incommo-
do cum professione, si ita faciendum esset, commu-
tare. Interim honestam in me voluntatem vestram
ut merito gratam habeo, magnique facio, ita haud conve-
nire statuo, me, qui quod ex honore et usu Academiae
fore pro vestra pietate et prudentia judicaveritis,
id juxta leges faciatis, obsistere. Agnosco rem arduam

precib. et multâ cogitatione dignam, sed quæ tota in
Θεῷ ἀνάκειται. In hujus ergò moderamine, ut decet, ac-
quiesco: et hunc denuò toto pectore invoco, ut vos
dirigat. Studia verò et officia mea, quæ possum omnia
inclytæ huic Academiæ defero promtissimè. Bene va-
leat M. T. Die 18 Februar: 1597.

Magnificentiæ T.
studiosissimus
David Pareus D.

298) D. Johanni Jacobo Grynæo
David Pareus S.

Honorande in Christo Domine frater.
Audimus Tigurinos fratres meditari an-
tirrhetica adversus maledicum canem Philip-
pum Nicolai, qui verè est alter Huberus.
Par enim uterque canina rabie, dicacitate
et impudentia: licet tenuem fortunæ te-
lo seu verius Dei vindicis manu pressus ip-
se aliquid humanitatis præ se ferat, et sit
lupus in fovea. Studio illi haud dubiè opti-
mo id agunt, ut Deus quem [illegible] ille Calvi-
nistarum vocat, à blasphemiis vindicetur.
At nobis quidem, qui propius hic turbas
istas aspicimus, videtur canis ille solo silen-
tio vindicandus. Nam et ille planè indignus
est cui respondeatur, homo nullâ literatu-
ra imbutus, sed loquacitate solâ ad scriben-
dum armatus: blasphemiæ verò pleræque
adeò sunt mendaces et crassæ, ut qui ex adver-
sariis vel micam pietatis habent, ipsi eas
exhorrescere cogantur. An verò Deo,